

## DE VARIOLIS

si vires & ætas permittant, nil melius putatur, quàm à venæ sectione initium facere, potiss. in variolis, præmisso clyst. leniente, si opus videatur. Administratur autem commodissimè venæ sectio ante eruptionem variolarum, quæ intra quartum diem plerunq; fit; Et quò citiùs eò melius. Nam dum exeunt consultum non est venam aperire, ne conatus naturæ præpediatur, & materia ad cutem iam transmissa in venas retrahatur: nisi tamen tanta sit sang. copia in venis, vt eam natura gubernare & vitiosos humores ad cutem propellere nequeat.

42. Initio detrahendus est sanguis ex vena communi aut basilica dextri lat. pro virium robore: sed nunquam ad animi deliquium, vt in alijs synochis fieri assolet: quia in hoc malo humores omni malignitate non carent. In progressu verò licet adsit plenitudo, sanguis parciore mensura detrahatur, potiss. vbi papulæ conspici iam incipiunt. Deinde quando sanguis in caput irruit, aut instat oculorum inflammatio, nonnulli præcipiunt venas narium aut frontis aperire, vel fluxum sang. narium prouocare, qui partes superiores à malitia variolarum conseruat. In melancholicis & mulieribus quibus suppressa sunt menstrua, venam tali aut poplitis secare. Si suspecta sit venæ sectio, vt in pueris & simil. ad redundantiam euacuandam admoueri poterunt hirudines dorso, scap. & cruribus: vel cucurbitulæ cum scarificatione brachijs, lumbis, natibus aut cruribus. Admouentur etiam vtiliter in robustis, non solummodò initio post venæ sect. sed etiam in progressu, postquam exanthemata apparere inceperint, vt non solum redundantia euacuetur, sed etiam materia ad exteriores partes extrahatur.

Cucurbitulæ.

Purgantia.

43. Purgatio in hoc affectu suspecta est, non quia vires debilitat, sed quia operationem naturæ impedit, & humores virulen-

virulen-